

LECTIO IV: JOCELINI DE FVRNESIO VITA SANCTE HELENE  
(c. 1180)

Jocelin of Furness (fl. 1175–1215), a monk from the Cistercian monastery of Furness in Lancashire, the second largest and wealthiest Cistercian monastery in England, was much in demand as a hagiographer. At the request of various ecclesiastical figures, he composed *Vitae* of Saints Helen, Kentigern, Waldeve and Patrick. Jocelin fancied himself something of a Latin stylist, noting in his preface to the Life of Kentigern: ‘Many people wrote saints’ lives who were unlettered and ignorant of the art of composition [...] Many find that reading saints’ lives written in a clumsy style and barbaric language provokes nausea rather than faith.’<sup>a</sup> If we can take Jocelin at his word, the *Vita* of St. Helen is a Latin reworking of an English original.<sup>b</sup> The passages excerpted below, emended and repunctuated, are from Antonina Harbus, *Helena of Britain in Medieval Legend* (Rochester, NY, 2002), pp. 150–182.

<sup>a</sup> On this *topos*, see R. Bartlett, ‘Rewriting Saints’ Lives: The Case of Gerald of Wales,’ *Speculum* 58 (1983), pp. 598–613.

<sup>b</sup> On which see R.M. Wilson’s ‘Some Lost Saints’ Lives in Old and Middle English,’ *Modern Language Review* 36 (1941), pp. 161–172.

XVIII: QVALITER SANCTA HELENA CONVENIT Iudeos  
ET CONCIONABATVR AD EOS

Sancta uero Helena prudenti usa consilio cunctos Iudeos intelligibilis etatis, qui fuerant in ciuitate et ceteris urbibus et castellis Iudee, fecit congregari, congregatos suis conspectibus assisti, et assistentibus sciscitabatur qui fuisse in eis sue legis periti. Illi uero habito consilio regine mille uiros exhibuerunt quos peroptime nosse legem astruxerunt. Iussit iterato sancta regina illos adinuicem conuenire et exquisitos in lege doctores sibi presentare qui possent et nossent inquisitionibus suis rationem reddere. Iterato consulentes adinuicem elegerunt ex se tantum quingentos quos statuentes ante sanctam Helenam astruxerunt esse in lege doctissimos.

Illa uero assistentes intuens concionabatur ad eos dicens, ‘Noui uos quondam electos et dilectos populumque peculiarem domini fuisse, quibus

6 illos *scripsi*, illis *Harbus*

VITA SANCTE HELENE

erat testamentum et legislatio et obsequium et promissum secundum patres,  
nunc autem ob cordis cecitatem et infidelitatis pertinacitatem despectos et  
15 projectos a facie Dei, tamquam a sancta stirpe penitus degeneres. Verum  
namque Messiam tociens in lege et prophetis multipharie [multis modis]  
uobis promissum, tandem a patre missum, innumerisque miraculis se Deum  
comprobantem non solum negastis, uerum etiam suspendentes in ligno  
interemistis, eius memoriam delere de terra sategistis. Ipse solutis doloribus  
mortis secundum sacras scripturas tercia die resurrexit spoliato baratro; in  
20 alta celorum potenter ascendens misso spiritu sancto omnia ad se trahit.  
[...] Adhuc eciam prouidete inter uos doctores meliores ueracius legis et  
prophetarum enigmata intelligentes qui in eas sciant et queant abstergere  
ambiguitates.'

Iudei, tertio iam conuocato concilio, quare regina erga se ac(t)itabat ue-  
hementer mirabantur et quid questionis mouere uel quid eis obicere uellet  
25 mutuo percunctabantur. E quibus unus, Iudas nomine, sapiencie et eloquen-  
cie et etatis maturitate ueteranus dixit ceteris auide audientibus, ‘Coniecto et  
formido quod regina uult a nobis certiorari de ligno et loco ubi crucifixerunt  
Ihesum patres nostri. Omnino caueatur ne per aliquem nostrum perueniat  
30 ad huius indaginis certitudinem, ne forte (quod absit) ipsa uel filius eius aut  
ceteri Romam iam Christiani uenientes exilem iam et exiguum tollant nos-  
trum locum et gentem. Sic profecto nostram destru(e)nt et suam legem in-  
stituent. Ego tamen a iure et paterno precepto perstringor ne, antequam  
35 inmensis suppliciis subiciar aut morti tradar, lignum crucis absconditum  
patefaciam et ne inquam Christi nomine blasphemiam seu cultoribus eius  
incutiam. Zacheus auus meus multa mirabilia retulit Symoni patri meo et  
pater meus michi de magnitudine uirtutum eius et de diuinitatis bonitatis eius.  
Stephanus patricius meus celos apertos ipsumque stantem a dextris uirtutis  
Dei conspexit et cum pro nomine eius lapidaretur orans pro lapidatoribus  
40 suis in gloriam conspectam introiuit. Saulum eciam persecutorem sancto-  
rum suorum fecit ad se conuersum eximium predicatorem fidei sue, immo  
et apostolum ad se conuertentem multa milia populorum. Vos ergo uideatis

30 filius eius] i.e., Constantine 38/40 Act. 7.55–59: cum autem esset plenus Spiritu  
Sancto intendens in caelum vidit gloriam Dei et Iesum stantem a dextris Dei et ait ecce video  
caelos apertos et Filiu hominis a dextris stantem Dei...

15 multipharie = multis modis (likely a gloss on the relatively uncommon ‘multipharie’  
and subsequently incorporated into the main text.) 37 diuinitatis *scriptpsi*, diuicus *Harbus*  
38 stephanus *scriptpsi* cum Go, spiritualis *scriptpsit Harbus* cum C

VITA SANCTE HELENE

quid uobis agendum sit: utrum, si de ligno crucis questio mota fuerit, silentie supprimendum quod nouerimus, an sit propallandum.' Hoc audientes  
45 ceteri pre admiracione obstupuerunt et circa crucis reuelande mysterium ei sub legalis anathematis interdicto silentium imposuere.

XIX: DE INVENTIONE SANCTE CRVCIS ET MIRACVLIS PER EAM  
FACTIS ET CLAVIS DOMINICI CORPORIS

Cumque Iudei demorarentur in protrah(e)ndo concilio suo, sancta regina fecit eos ad se accersiri. Dixit accersitis ut sibi demonstrarent locum <et> repositorium crucis Christi. Illi uero communi consensu uoce unanimi respondentes asseruerunt sese non habere noticiam ligni uel loci. Cum obstinate perdurantes in hac sentencia nollent precibus aut minis eius emolliri, zelo succensa regina iussit omnes flammis consumendos tradi. Omnes igitur perturbati et exter(r)iti Iudam prefatum adduxerunt ante regine consistorium, protestantes illum iusti esse et prophete filium, qui sicut audiuist a  
55 patre posset et sciret eius adimplere uotuum effectum.

Semotis itaque omnibus solum Iudam nunc blandimentis mulcens, nunc persuasionibus permigens, nunc terroribus pulsans conuenit ut saltem sibi designet Caluarie locum ubi crucifixum fuisse dominum sanctum indicat euangelium. Iudam uero quia nec precibus nec persuasionibus siue minis  
60 flecti uoluit iussit imperatrix incarcерari prohibens illi cibum aut potum a quolibet ministrari donec uexacio daret illi intellectum uerum confitendi. Attenuatus tandem squalore carceris et angustia diuturne famis postulauit et impetravit educi se de carcere quia pollicebatur se ostensurum illis locum Caluarie.

65 Accepto deinde fossorio Iudas preuius accessit ad locum; assistente regina cum inumerosa multitudine hominum fodit in altum. Precibus deuotis pulsabat ad portam diuine pietatis ut aliquo signo mirifico demonstrare dignaretur sibi thesaurum desiderabile absconditum in uisceribus terre. Oratione completa statim commotus est locus, et de loco fumus  
70 aromatizans suauitatem odoris admirandi super omnia aromata sursum ascendit; locum et circumiacencia eius cunctosque astantes inestimabili iocunditate replete. Tres deinde cruces inuenit quas cunctis qui aderant

48 accersiri = arcessiri

44 hoc scripsi, hic *Harbus* 48 accersiri scripsi, accessiri *Harbus* 62 angustia scripsi, angustia *Harbus*

## VITA SANCTE HELENE

uidendas exposuit. Et quamuis Sancta Crux ex titulo Hebraicis litteris Grecis et Latinis a Pilato conscripto potuisset a ceteris discerni, plenius  
75 tamen cupiebat regina super illius ueritate certificari ob roboramam fidem populi. Et ecce quedam mulier primaria ciuitatis iacebat agens in extremis. Posuerunt ergo super seminecem crucem unam primo, dehinc alteram et nichil profuit. Adhibuerunt terciam titulo prefato presignitam et statim sanitatem et ualitudine pristina plene recepta surrexit, exilit, omnesque leticia perfudit. [And the miracles continue at length until . . .]

Conuertitur ad fidem multitudo Gentilis Iudaice plebis. Audiebatur ululatus demonum in aere uolitancium at uociferancium, ‘Ve ue nobis misellis qui domino diurno priuamur et a sedibus expulsamur propriis. Ecce crux Christi omnia penetrat, in celo rutilat, in aere mundum illustrat, infernum spoliat, uirtutibus coruscat. Ecce quod per Iudam conuersum et consentaneum nostrum adquisiuimus, per posteriorem Iudam a nobis auersum amisimus.’ Et conuersi ad illum, ‘Talionem,’ inquiunt, ‘tibi reddemus quoniam alium regem suscitabimus aduersarium crucis Christi qui te tormentis grauibus subiciet et te Christum negare faciet.’ Ad hec Iudas respondens,  
85 ‘Increpet,’ inquit, ‘Deus te Sathan teque demergat in abyssum ignis eterni qui hamo te cepit et perforauit armillas tuas, o tortuose serpens et lubrice Leuiatan.’ Demon in umbras euanuit et Iudas Iudaice secte renuncians exuto ueteri homine per lauacrum regenerationis et renouacionis Christum induit. Processu uero temporis discedente presule Machario per beatam Helenam  
90 a Romano pontifice in episcopum Ierosolimorum consecratus est; tandem eciam miraculis choruscans sub Iuliano apostata martirio coronatus est.

## XX: DE INVENTIONE CLAVORVM DOMINICI CORPORIS

Magnificauit anima beate Helene dominum et exultauit spiritus eius in Deo salutari suo, quia eius labore et studio crucem sanctam reuelauit in mundum. Ecce ad restaurandum quod Eua prothoparens admisit et amisit, sanatiuum  
100 remedium Helena beata inuenit. Tactus enim ligni fuit Eue tangent<sup>i</sup> eiusque propagini effectus expulsius de paradiso in mundum, de mundo in infernum; crux Christi arbor uite quam Helena quesiuist et inuenit efficaciter uehiculum reductiuum Eue et posteritati eius de pena ad paradysum, de ceno ad celum. Presumens adhuc de Dei cumulaciōri misericordia cum Iuda et ceteris creditibus instancius dominum deprecabatur ut clauos quibus palme  
105

96 apostata *scripti*, apostota *Harbus*

VITA SANCTE HELENE

et plante dominice confosse fuerant sibi propalare dignaretur. Orantibus illis lux celestis ad instar fulgoris choruscantis emicuit, claritas Dei circumfulgens Caluarie locum clausum super aurum et omnem lapidem rutilantes preciosum cunctis exhibituit. Quos regina flexis genibus obstipo capite adorans manibus accepit, crebra illis infigens oscula saluatorem omnium glorificauit.  
[...]

XXII: QUID SANCTA HELENA DE LIGNO DOMINI ET CLAVIS FECERIT

Lignum eciam salutare sancte crucis in duas particulas diuisit, quarum unam auro gemmisque preciosis coopertam arcello argenteo inclusit et in templo quod construxerat adorandam a populis dimisit. Dignum profecto iudicabat ut illic adoraretur ab hominibus ubi saluator in ea redemit humanum genus. Altera quoque porcio simili modo uestita auro et gemmis Constantiopolim ad filium eius deffertur, que magna ueneracioni usque in presens ibidem habetur. Unum clauorum prenominatorum auro inclusum freno regio fecit inseri, confidens eius presencia et beneficio iter et actus ipsius in uiam pacis et salutis dirigi, motus illicitos per hoc debere refrenari, iudicia eciam domini timendo carnes timore salubriter configi. Completum est illud Zacharie prophete uaticinium dicentis, ‘In die illa erit quod super frenum equi est sanctum domino.’ Alterius clavi impositione galeam imperatoris armatam muniuit ut munera tam preciosa presencia atque presidio ab armis exterioribus illesus custodiretur, uictoria seu pax a domino sibi concederetur. Dyadema nihiliominus ex auro purissimo preciosissimisque lapidibus ornatum fabricari fecit, in cuius fronti(s)picio signum crucis porciunculam dominici ligni continens et tercium clavum nudum erexit. Miro satis artificio sanctaque calliditate mulier sancta et prudens sublimauit ad gloriam quod Iudeorum ficio maligna meditabatur et machinabatur rabies Gentilis ad Christi consummari contumeliam et penam. Et quia reus regie maiestatis censebatur quisquis caput flectere et adorare imperatorem diademate fastigatum aspernabatur, nunc eciam adoraret inuitus uterque Iudeus et Gentiles dominice passionis stigmata ne puniretur. [...]

EXPLICIT VITA SANCTE HELENE REGINE. INCIPIT DE  
TRANSLACIONE IPSIVS.

122/123 Zac 14.20

117 magna *scripti*, magne *Harbus* 123 clavi *scripti*, clam *Harbus*

VITA SANCTE HELENE

135 Quidam sacerdos Remensis dyocesis, Theogisus nomine, Romam prefectus oracionis causa, ibidem demoratus est causa uisendi loca sancta et perquirendi sanctorum sacra pignora. Erat urbs illa cladibus multis multociens obnoxia et cum hostium irrucionibus, cum crebris pestilenciis, et cum lue mortalitatis attrita, ut in ea uix uiderentur uetuste uenustatis 140 uestigia. Turres erant dirute, muri disrupti, domus uacue, basilice martirum deserte. Qua de causa multe regiones et precipue Francia ditate sunt copia reliquiarum ex Roma deuecta. Prefatus igitur presbiter Rome constitutus, dum frequentaret sanctorum memorias, subiit animum eius in ecclesiam ubi corpus sancte Helene requieuit deuenire et ipsius inde tollere reliquias 145 ad patriam transferendas. Quod cum indicasset quibusdam consecrariis suis propositum illud, illi approbant et operi tali peragendo neccessaria preparant. Noctis sub obscuro quando sopor solet occupare homines, cum socio huius rei concio latitans in ecclesia praefata, nactus oportunitatem surgit cum quibusdam machinis, operculum mausolei reuoluit, sacram 150 glebam extractam locello preparato recondidit, et reuolutum lapidem sicut prius erat reponit, recedit et cum consortibus repatriando maturius iter arripit.

Digressi ab urbe, pernoctabant in silua que iacet ciuitati Sutrie. Mane facto cum se procinxisset ad iter, unus comitum presbiteri, iuuenis robustus corpore, accedens sacra pignora super asellum leuare toto conamine uoluit, sed ab effectu frust<sup>r</sup>atus a loco ea mouere non ualuit. Quo cognito presbiter pauore perterritus accurrit et, licet longe uiribus inpar iuueni foret, omni facilitate thesaurum illum, ac si omni pondere careret, apprehendit, sursum leuauit, asello superimposuit, et cum suis recessit. Admirans presbiter de re quae accidit percunctatur a iuuene quid in illa uia commiserit. Ille uero confitebatur se nullius noxe criminalis in illo itinere conscientum esse, nisi quod illa nocte sompno illusus carnis lubricum se sensit protulisse. Quo in facto quilibet conueniuntur qui sancta tractant ut tota diligentia corporis et cordis mundiciam custodian. Si enim homo iste pro lapsu forsitan ineuitabili ab accessu et contactu sanctarum reliquiarum arcetur, quid fornicacione uel adulterio seu flagiciis siue facinoribus polluti promerentur, qui non solum accedere et tangere sancta sanctorum, uerum eciam tractare, sumere, consecrare corpus et sanguinem Domini, quo nichil in hoc mundo sanctius est, non uerentur?

170 Cumque iter agentes uenissent ad rapidissimum flumen, Thamem

161 conscientum *scripti*, concium *Harbus*

VITA SANCTE HELENE

nomine, eius uidentes impetum formidabant intrare uel transuadare. Cum autem in ripa stantes de transitu tractarent, asellus sacre sarcine baiulus, ac si flagellis urgeretur aut calcaribus, flumen ingressus in directum transiuit onere suo deductus. Cernens hoc presbiter, qui asello statura uiribusque  
175 maiori insidebat, cum magna difficultate transuadabat. Asellus sui portitor pene totus undis uidebatur immersus, cum latera minoris precedentis, geruli reliquiarum sanctorum, intacta cernerentur a fluctibus.

In processu uero itineris perplures utriusque sexus sese associabant illis,  
inter quos quedam puella, dum descendunt Alpium iuga, labitur in preceps  
180 acta. Que dum miserabiliter uoluitur per deuexa, conuiatores eius nomen  
beate Helene conclamantes ipsius expetunt suffragia. Ad inuocationem uero  
nominis, subito puella in praerupto latere montis delapsa adhaesit, sicque  
dimissis cum funibus fasciolis euehitur ad superiora incolumis et illesa. Viso  
185 tanto miraculo plures commeancium sanctam Dei glorificauerunt et ad ges-  
tanda sacra pignora sese deuociores et prompctiores exhibuerunt. Inter quos  
quidam equo dissiliens selle sacras reliquias superintulit, caballum nobili  
honore oneratum obambulando minat et inducit. Veniens autem ad descen-  
sum montis, casum timens, iumentum suum exonerat onusque sacrum pro-  
190 priis humeris impositum tamquam securius custodiendum portat. Ingressus  
tramitem artum et lubricum offendens pede in preceps ruit, munera tamen  
sacra brachiis obstricta tenere nullatenus omisit. Turba sequens beate He-  
lene crebro nomen exorando ingeminat ut homini labenti in precipicio in-  
teritus festina succurrat. Mira res! Equus qui sacram sarcinam gestauerat  
195 propriam uilipendens ruinam ruuentem dominum sequens anterioribus ped-  
ibus et cruribus amplexus est, miroque modo stans, immo diuino subnixus  
adiutorio, tamdiu hominem lapsum pendulus tenuit quoadusque homines  
subtus degentes occurserent, glaciem ferro pro(s)cinderent et cum funibus  
et quibusdam machinis hominem et equum in callem rectum deducerent.  
Omnes ergo qui uiderunt et audierunt meritis sancte Helene hominis erep-  
200 cionem deputantes dominum laudauerunt.

186 equo dissiliens] ‘leaping from his horse’      selle] (here) ‘saddle’

172 tractarent *conieci*, tranctantes *Harbus*    182 praerupto *scripti*, prorupto *Harbus*